


NATIONALBIBLIOTHEK
IN WIEN

138143-B

ALT-





138143 B

DE
MORBILLIS.

1836
DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE MAGNIFICI
DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS SPECTABILIS AC PERILLUSTRIS DOMINI
DECANI NEC NON CLARISSIMORUM DOMINORUM PROFESSORUM PRO
GRADU DOCTORIS MEDICINAE RITE OBTINENDO IN ALMA AC CELE-
BERRIMA REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE HUNGARICA

DISQUISITIONI PUBLICAE SUBMITTIT

Josephus Engel,

Magister Pharmaciae et Obstetriciae, Nobilis Hungarus.

Theses adnexae publice defendentur in Palatio Universitatis
die 1836.

Pestini,

Cypis Ludovici Landerer de Fiskút.

1836.

Morbilli, (Kanyaró, veres himlő; die Masern, Kinderflecken).

§. 1. Morbilli sunt exanthema contagiosum, quod, ubi aegrum febris catarrhosae similis ut plurimum per tres dies jam infestasset, erumpit in cuti forma macularum cupreo rubrarum, leniter convexarum, magnitudinis circiter seminum lini vel lentis, quae post septem circiter dies sub defurfuratione epidermidis evanescent.

Hic morbus rarissime occurrit sporadice, ita ut per plures annos etiam in maximis civitatibus ne unus quidem aeger occurrat; frequentissime epidemicus est, praesertim hyeme ac vere, et statim in omnibus regionibus loci erumpit. Denominatio derivatur ab italico *il morbo*, quod significat pestim, quasi Morbilli pestis parva essent. Sunt quibus Morbilli nomine *Roseolarum* veniunt, (ita Berend's Handbuch der praktischen Arzneiwissenschaft von Karl Sundelin); Angli ut *Willan et Bateman* et Galli vocant *Rubeolas*, sub quo nomine Germani quidam *Selle, Orlow, Strohmeyer* exanthema intelligunt distinctum, quod juxta alios ut *Reil, Sprengel, Marcus, Hildenbrand* inter Morbillos et Sarlatinam medium tenet, juxta plurimos ut *J. R. Frank, Richter, Hufeland, Heim, Couvrad, Raimann, Bene* et modificatio Scarladinae est; ab aliis denique, ut *Iahn* etc. *Überlacher* pro modificatione Morbillorum habetur.

§. 2. Morbus, pro diversitate constitutionis individualis aegri ac genii epidemiae, decurrit per stadia sex, utpote: stadium infectionis, incubationis, invasionis, eruptionis ac florescentiae, defurfurationis ac

reconvalescentiae quae per mutationes tam in toto organismo, quam in cuti observabiles distingvuntur. Circumstantiis faventibus Morbilli in quibusdam individuis organarie oriuntur. Quenam autem circumstantiae morbo primarie evolvendo faveant, hucdum nondum innotuit. Sunt qui in aëre atmosphaerico miasma peculiare evolvi credunt; aliis atmosphaerae peculiaris constitutio morbi causam excitantem involvere videtur. Morbus evolutus generat vim inficientem, cujus vehicula sunt perspirabile cutaneum, halitus et mucus viarum respiratoriarum, saliva, epidermidis furfur, nec non sanguis vasorum cutaneorum partis morbillosae sub stadio defurfurationis. Contagium hocce summe volatile est, etenim vehiculorum gas ac vaporiformium ope aëri atmosphaerico mixtum, ad majorem etiam distantiam defertur, quin intereat; corporibus aliis quoque, ut suppellectilibus, vestibus adhaeret. Inficiuntur homines sani per contactum immediatum aegri morbillosi, per atmosphaeram illum circumdantem materia perspirabili cutis aut halitu impraegnatam, ac per vestimenta, aut alia corpora contagio imbuta. Atria quibus contagium a corpore humano suscipitur sunt: cutis nec non membrana mucosa viarum respiratoriarum. Contagium juxta quosdam unica, saltem frequentissima morbi causa excitans, solum nullatenus sufficit ad morbum gignendum; experientia enim teste multi contagio expositi in morbum non incidunt, unde patet simul dispositionem ad hunc requiri, quam quidem plurimi homines habent, ut rari reperiantur, qui a hocce morbo liberi manerent. Dispositio haec non est omni aetate aequabiliter evoluta. Aetate tenerrima rarius occurrunt Morbilli, quamvis et foetum in utero matris iisdem laborasse feratur. Aetate tenera usque annum decimum, ubi atria morbi teneriora vividioraque sunt, dispositio major est; hinc Morbilli ad morbos infantum ac puerorum referuntur; interim praesertim in sexu sequiori aetate juve-

nili, virili, imo, quamvis raro et senili Morbilli erumpere possunt. In epidemia Morbillorum hoc anno (1836) mense Martio, Aprili ac Majo in urbe Pestinensi regnante observati sunt Morbilli in infante aliquot dies nato et in viro quinquaginta trium annorum. Frequentissime occurrebat in prolibus a 5 — 10 annum. — Morbus perpessus tollit dispositionem, nec tamen semper; dantur enim casus, quamvis rari, his exantlati morbi; ut testantur, *Home, Borsieri, de Haen, Wendt, Hufeland et alii*. In epidemia hujus anni observati sunt casus duo. Momentum illud quo contagium morbillosum ab organismo humano suscipitur, constituit stadium morbi primum seu stadium *infectionis*; quod excipit *stadium opportunitatis seu incubationis*, sub quo effectus contagii in organismo nondum tantum adtigit gradum, ut manifestis symptomatibus se proderet, sed specie sanitatis latet per quinque usque quatuordecim dies. Sequitur tunc *stadium incubationis, irritationis, effervescentiae, seu catarrhosofebrile*, sub quo subjectum, hucdum apparenter sanum experitur. dolorem obtusum in regione frontali ad radicem nasi, cum obstructione molesta, pruritu et profluvio muci seroso-acris narium, sternutatione frequenti, pruritus oculorum, epiphoram largam, photophobiam, conjunctivae ruborem; porro raucedinem, tussimque ita characteristicam ut experto sola sufficiat ad diagnosim morbi condendam; quandoque et deglutitio aliquantum molestior reditur. Simul cum his symptomatibus evolvuntur, sensimque increscunt symptomata febrilia: exoritur dedolatio artuum, gravitas capitis, horripilatio, frigus, transiens in calorem. Horis vespertinis morbus exacerbatur, matutinis vero remittit. Ubi notum est epidemiam Morbillorum regnare, aegrum cum enumeratis symptomatibus hoc morbo nondum laborasse, remedia anticatarrhalia incassum adhibentur: suspicio fundata oritur de Morbillis

evolvendis. Durat hoc stadium per duas, tres, quatuor, quinque, raro undecim usque 17 dies.

Post exacerbationem vespertinam vehementem, cum calore magno, tussi molesta, cephalaea gravi, temulentia, inquietudine, anxietate, oppressione pectoris, subinde cum deliriis et convulsionibus, et post noctem inquietam comparent maculae laete, versus centrum lentissime profundius cupreo rubrae seu fusciscenti rubrae, ad pressionem digiti evanescentes, mox redeuntes, initio minimae, sensim ad diametrum unius plurimae duarum, paucae ad diametrum trium linearum incrementales, partim rotundae, partim ovaes, non tamen regulariter limitatae, initio semper isolatae, et dum paucae sunt, ab invicem segregatae, sed dum copiosiores erumpunt aggregatae et tunc sub ulteriori incremento confluentes, ita ut loca 3 — 4 pollices in diametro habentia confertae occupent, loca autem intermedia, manum et ultra aequantia, intacta relinquunt, et hinc cutis variegata appareat. Raris in casibus, idque potissimum in adultis totum corpus, praesertim facies, obtegitur Morbillis, ita, ut si aeger tertia aut quarta die post eruptionem inchoatam prima vice visitaretur, primo obtutu pro scarlatinoso declarari posset, praesertim si ob Morbillos fauces occupantes isthmitis quoque hoc tempore enasceretur. Interim strictiori examini subjectus morbus non facile confunditur; etenim isthmitis talis accidentalis mitior esse solet, raro dolorifica, potum, imo et esum non prohibet, non ab initio febris, sed tertio aut quarto die post eruptionem exanthematis oritur, nec obducit tonsillas membrana alba densa firmiter adhaerente ad modum isthmitidis scarlationosae. Scarlatina denique exanthema laeve est, Morbilli vero in centro admodum parvum, quidquam duriusculum colliculum (nodulum seu papulam) gerunt, quod prima die existentiae clarum, pellucidum, flavescensque liquidum tenet, sequentibus diebus vero éva-

nescens. Quo magis evolvuntur maculae, eo magis elevatur cutis eisdem subjecta, ita ut tandem attactui instar lentis transversim dissectae appareant, dum manus in superficie cutis affectae leniter ducitur. Atque hoc signum diagnosticum adeo manifestum est, ut per hoc exercitatus Morbillos a scarlatina aut a Rubeolis etiam in tenebris dignoscere valeat. Juxta *Wedekind* centrum maculae occupat pilus; ope microscopii solum visibilis, oriturque juxta *Sundelin* papula centralis ex bulbo pili tumido, tales autem maculae occurrunt frequentissime in facie, pectore et brachiis, sed in iisdem partibus occurrunt etiam maculae papula centrali piloque destitutae quae citius, quam aliae disparent. Nunquam autem hocce exanthema in tota cuti ad semel erumpit; plerumque jam secunda die febris in cavo oris manifestae sunt maculae; die eadem, vel tertia aut quarta conspiciuntur in facie inter aures et nasum, in fronte, in genis ac mento, adhuc serius in pectore, abdomine ac brachiis, ultimo in lumbis et extremitatibus; contingitque haec eruptio nonnunquam intra 24 aut 36 horas, saepe intra 3 — 4 dies, ita ut saepe in facie jam multum palleant, ubi in extremitatibus inferioribus adhuc in summo flore constituuntur. Ubique erumpant, cutis subjecta primis 24 horis post eruptionem intumescit, praesertim in facie, quo tempore epiphora largissima esse solet. Dolorem maculae non causant nec pruritus, de regula; — sunt tamen casus, ubi maculae magno pruritu aegrum molestant. Cum eruptione progrediente animadvertente *Ernesto Ludovico Heim* peculiaris odor perspirabilis cutanei dulcisculus evolvitur sensim manifestior, comparabilis cum illo plumarum in anseribus vivis aut recēter mactatis qui versus finem morbi in acidiusculum abit. Docente *Carolo Sundelin* halitus oris est acido acris odoris et nonnunquam in sano provocat sternutationem. Eruptione finita febris mitigatur, symptomata catarrhalia vero

perstant, imo non raro increscunt; frequenter accedit epistaxis, praesertim noctu, quandoque jam ad exordium stadii eruptionis praesens per vices revertens, in aliquot casibus epidemiae hujus anni profusa observata. *Stadium hocce eruptionis florescentiaeque durat per 4 — 7 dies.* Tunc eodem ordine, quo erupere, fiunt maculae pallidiores, non raro flavescunt, brunescunt, epidermis finditur et instar furfuris aut albicantis farinae potissimum in facie non raro sub vehementi pruritu a cuti secedit. Defurfuratione hac praecipua crisis contingit, interim praesertim illa imperfectius succedente eodem tempore observantur saepe evacuationes aliae, quasi criticae, cum sub his febris omnis evanescat, ut sudor universalis, moderate calidus, urina, sub decursu morbi fere semper flava, nunc copiosa sedimentum deponit puriforme album, subinde rosaceum; nonnunquam alvus, sub decursu morbi ut plurimum obstipa, nunc mollis, uberior, ipse catarrhus sensim decrescit, et ejiciuntur sputa cocta alba opaca. *Stadium hocce defurfurationis* diverso durat tempore, potissimum per 7 dies et sensim in *stadium reconvalescentiae* abit, ita ut post unam alteramque septimanam maculae nonnisi dum infantes plorant aut dum refrigerium admittunt manifestae redduntur, donec simul cum catarrho sanitati pullulanti cedant.

§. 3. Febris morbillosa ut plurimum caractere synochi instruitur, atque tunc morbus decursum descriptum absolvit, dicunturque *Morbilli mites* seu *benigni*. Nonnunquam accidentaliter quin caracterem morbi mutant adsunt symptomata gastrica, anorexia, nausea, ructus, vomituritio, vomitus *) gastralgia, diarrhoea, enteralgia, ita ut cum *Morbillis* complicatus sit gastricismus, quales a *Stoll*, *Richter*, *I. P. Frank*,

*) Vomituritio et vomitus caeterum aderunt hoc anno, quin morbus gastrico caractere instructus esset.

aliosque observati nomine *Morbilorum gastricorum* describebantur. — Est ubi affectio catarrhosa in membranam mucosam tubi intestinalis protenditur; quae saepe et membranam mucosam organorum uropoëticorum infestat stranguriamque producit. Nec tamen omnes Morbilli hocce caractere miti instruuntur. Iuxta *Berend* dantur *Morbilli gastrico biliosi*, quorum eruptio est difficilis et cum vehementia perficitur; hinc haec complicatio saltem benigna non dicenda. Saepe in individuis robustis; in morbos inflammatorios pronis, evolvitur character febris inflammatorius intensior; nonnunquam ob constitutionem atmosphaerae epidemicam, saepe concurrunt calor externus major, motus corporis vehementior, potus spirituosus, cibus aromaticus aut alter stimulus justo intensior; atque tunc frigus validius sequitur calor siccus nimius, sitis continua, pulsus frequens, celer, plenus et durus, cephalaea intensa, inquietudo magna, saepe deliria et convulsiones, pectoris oppressio angens, tussis violenta et diu durans sicca, alvus obstipa, urina flammea; nonnunquam exoriuntur haemorrhagiae alleviantes, ut epistaxis, in adultis haemorrhoids aut catamenia; tali feбри adjunguntur maculae profundo rubore tinctae, eruptio earum cita et tumultuaris est, et inflammationes topicae: meningum, ventriculi, intestinorum, oculorum, aurium, cordis frequentissime organorum respirationis: laryngis, tracheae, bronchiorum, pulmonum, pleurae; eruptioneque terminata febris non remittit, potius augetur, et si sub stadio invasionis inflammationes nondum evolutae essent id sub stadio florescentiae et defurfurationis contingit. (In epidemia anno hoc regnante imprimis in individuis aetatis annum 10 superantibus observatae sunt affectiones inflammatoriae organorum respirationis cum stadio eruptionis semet evolventes).

Febris, sub exordio caractere inflammatorio prae-

dita nonnunquam adipiscitur characterem *nervosum*, aut *nervoso septicum*; rarissime statim ab initio tali characterem instructa est. *Nervosum characterem* acquirit in subjectis debilibus, enervatis, influxui potentiarum debilitantium, evacuationibus nimis, actioni narcoticorum expositis, vel ob constitutionem epidemicam atmosphaerae morbis adynamicis faventem. Tunc aeger jam sub stadio invasionis, debilitatem offert majorem, horripilationes sunt vehementiores, frigus saepius recurrit, penes calorem intensum, pulsus est frequens, parvus, mollis, debilis, tussis est violenta, aeger afficitur cephalaea intensa, corripitur anxietate nimia, vertigine, animi deliquio, jacet soporosus excitatus delirat, non raro convellitur, urinam evacuat, spasmodicam aquosam; eruptio est praecox et cita aut sera et tarda irregularis, jam comparent Morbilli, jam iterum disparent inter convulsiones aliasque affectiones nervosas; suntque copiosi, pallidi, non raro rubeolis aut scarlatina permixti; nonnunquam in trunco prius erumpunt quam in facie; post eruptionem febris majori vehementia continuat sensuum obnubilatio, sopor, deliria spasmi augentur, lingua est nigricans, acceduntque saepe apoplexia aut inflammationes topicae periculosae. *Characterem septicum* adipiscitur febris morbillosa in subjectis diatesi scorbutica praeditis, potentiis debilitantibus expositis; tuncque typus febris fit continuus continens, praeter debilitatem muscularem nimiam, caput temulentum, pulsum frequentem, citum parvum, inaequalem, trementem, calorem mordacem, adsunt profluvia symptomata, ut sudor largus, foetidus, diarrhoea cadaverosa foetida, cum tenesmo nexa, haemorrhagia ex naso, ore, pulmonibus ano aut utero, non raro miliaria aut petechiae inter morbillos livescentes plumbeos a *Willan nigros* dictos, quales et in epidemia hujus anni aliquot cum funesto morbi exitu observati sunt.

§. 4. In epidemiis Morbillorum occurrit nonnunquam febris cum catarrho, quin in cuti maculae comparuerint, tunc juxta quosdam observatores, ut *de Haen*, *Reil* dispositio in morbillos simul debeatur, atque hinc assertum erat dari *Morbillos absque exanthemate*, alii observatores, inter quos *I. P. Frank* adhuc dubitant. — Alias occurrunt maculae Morbillis simillimae, sed sine febris ac catarrho, aut saltem cum exiguis; dispositio aequae non deletur et hinc dicuntur *Morbilli imperfecti, incocti, spurii, a Willan Rubeolae sine catarrho*. Verosimile est *Roseolam aestivam Willani* a quibusdam observatoribus pro Morbillis spurii habitam fuisse, quo vere calida et aestate ardente adficiuntur infantes et sexus sequior, constitutione corporis teneriori, irritabili praeditus; distinguuntur tamen colore roseo, magnitudine et figura diversa, decursu mitiore brevior absque catarrho. Ab *Urticariae* quibusdam maculis similibus distinguuntur Morbilli per elevationem et coloris profunditatem centram; ubi e contra *Urticaria* in centro pallidior et in peripheria elevatior esse solet. Non facile confundentur Morbilli cum *Miliaribus*, quorum nonnullae vesiculae area maculae morbillosae simili circumdantur, nam maculae hae non sunt elevatae et vesicula miliaris major est, quam elevatio centralis maculae morbillosae, denique *Miliaria* decursum magis chronicum tenent, febribusque diversis juncta sunt. Accidit ut eodem tempore quo Morbilli etiam *Rubeolae* aut *Scarlatina* epidemice grassentur, tunc unus horum morborum frequentior occurrit, frequentius videntur Morbilli praedominare. *Epidemiae morbillosae et variolosae saepe simul occurrunt saepius se invicem insequuntur.*

Morbilli occurrunt etiam cum aliis morbis complicati, cum inflammationibus, ut tracheitide acuta infantum, cum efflorescentiis, ut *Variolis, Scarlatina, Rubeolis, Miliaribus*; cum cachexiis, retentionibus,

profluviis, nevrosibus ut cum tussi convulsiva, quae ante cum aut post Morbillos occurrit.

§. 5. Prognosis Morbillorum variat potissimum

1) pro caractere febris concomitantis; qui frequentissime mitior inflammatorius occurrit et tunc prognosis laeta est, laetior quam in Scarlatina, Rubeolis ac Variolis; nam tales Morbilli, nisi causae nocentes admittantur, stadia sua regulariter decurrunt, atque per solam autocratiam naturae in sanitatem deducuntur, perficiturque crisis praecipue per defurfurationem, adstipulantibus saepe sudore universali moderate calido, largiore urina, cum sedimento puriformi, rarius rosaceo, alvo pultacea copiosiore, haemorrhagia narium, haemorrhoidali aut catameniali, sputis coctis albis opacis, nonnunquam tenacibus fuscescentibus. Ubi crises impediuntur etiam mites Morbilli periculosi evadere possunt, pro diversitate dispositionis individualis in diversis organismi partibus diversos producentes processus morbosos. Evolvuntur sic ophthalmiae chronicae cum variis vitiis membranarum aut humorum bulbi vel organorum lacrymalium, inflammationes organorum auditus cum vitiis posthumis chronicis, indurationes glandularum, aut harum exulcerationes pertinaces, diarrhoea, dysenteria tumores ossium, fungus articuli, furunculi, frequentissime status morborum organorum respirationis, rauco, tussis, catarrhus chronicus in phthisim pituitosam vergens, in praedispositis phthisis pulmonalis tuberculosa.

Si febris characterem intensiorem inflammatorium habeat, Morbilli periculosi sunt, saepissime enim tunc simul inflammationes topicae exoriuntur in exitus infaustos pronae. Exstant exempla mortis sub ipso stadio invasionis inter convulsiones subsecuti, ubi nempe meningitis letalis cito evoluta est, frequentius occurrunt inflammationes sub stadio eruptionis, frequentissime sub stadio defurfurationis, ut sunt meningitis, enteritis, car-

ditis, pleuritis, frequentissime pneumonia, quae comitatur colore livido genarum, praecipue illius lateris affecti, et tracheo-bronchitis; morsque insequitur aut repente per gangraenam, apoplexiam, suffocationem, aut lente per secretionem seri aut puris arte raro delendam. Febris cum caractere nervoso, aut nervoso-septico Morbillos reddit periculosissimos; cum plurimos aegros occidant merito *maligni* dicuntur. Mors inducitur per gangraenam intestinorum, cavi oris, pulmonum, tubi intestinalis, vaginae, frequenter plurium partium simul. Dum repente letalis non est, in tabem nervosam, aliosque morbos chronicos nervosos abit.

2. Prognosis variat pro diversitate epidemiae, quarum nonnullae magna letalitate instruuntur, quales descripserunt Morton, Rosenstein, Peneda et alii.

3. Constitutio individualis aegri in prognosi magni momenti est, praecipue conditio organorum respirationis, nam horum vitia organica disponunt in Phthisim; sic periculosus est morbus etiam tempore dentitionis.

4. Aetate tenera usque annum tertium et post annum decimum morbus facile periculosior evadit.

5. Prognosis variat etiam per diversa stadia; stadium defurfurationis est periculosissimum.

6. Regressio Morbillorum facile contingit, quin semper periculosa esset; ubi tamen regressionem repentam deliria, asthmatica affectio, inflammationes internae insequuntur, periculum summum adest.

7. In Prognosi pronuncianda et Symptomatum ratio habenda est. Eruptio praecox cita, tam mali est ominis, quam sera tardaue. Color macularum profundus timendus, magis adhuc valde pallidus, aut luridus. Si cunctatur defurfuratio, signum est malum; diarrhoea cum tenesmo fere semper mortis indicium est. Sudor moderatus desideratissimus est; profusus statim sub morbi exordio, characterem morbi malignum indicat.

8. Ratio denique habenda complicationis. Complicatio cum Variolis saepissime letalis est, complicatio cum tussi convulsiva summe periculosa est, et sic porro. In genere Morbillorum prognosis minus certa est, cum diatheses latentes facile in morbos posthumos perniciosos evolvant, ita, ut quamvis mites appareant, tamen per morbos posthumos saepe aegrum morti tradunt.

§. 6. Cum morbo exantlato dispositio in eundem in plurimis casibus deleatur, morbus ipse prophylacticum certissimum est contra se ipsum. Hinc medici solliciti erant de Morbillis mitibus producentis, tempore favente, ut evitentur maligni. *F. E. de la Fontaine* primus commendavit inoculationem Morbillorum in epidemiis periculosis; *Home* autem Morbillos primus inoculavit infligendo cuti brachii vulnusculum superficiale et applicando huic gossypio susceptum sangvinem ex vulnere morbillosa inflicto, aut lacrymas sub stadio florentiae, aut salivam, aut furfur, produxitque sic Morbillos mites, dispositionem in morbum delentes. *Horst, Monro, Locatelli, Speranza* inoculationem pari successu susceperunt. Cum tamen Morbilli alioquin in plurimis casibus mites observentur, inoculatio vulgo negligitur; rationalis tamen est tempore epidemiae, in qua plures aegri Morbillis malignis afficerentur in subjectis dispositione adhuc praeditis sollicita separatione non satis defendendis, ut *J. P. Frank* und *Hufeland* commendant. *Tourtuell* observavit scabiosos et alios, qui quacunquē de causa sulfure usi fuere sub epidemia morbillosa ab illis liberos mansisse; quod ergo Sulfur praeservativum sit contra Morbillos (*Hufeland Journal der praktischen Heilkunde. Berlin 1823. Febr. VII.*) Secundum *C. A. Trott* Camphora Contagium Morbillosum destruit (*Hufeland und Osann Journal der praktischen Heilkunde. Berlin 1827. Suppl. II.*) Secundum *Prata* in Mezzana Biglia vaccina imminuit Morbillos. (*Brera Giorn. di Med. pract. Padua 1812. Vol. I. P. I. S. IV.*)

§. 7. Ut exitum felicem in sanitatem nanciscantur, Morbilli omnes, sive originarie exorti, sive per infectionem aut contagium generati stadia sua rite abolvere et per crises dijudicari debent. Natura sola in plurimis casibus ad hunc finem tendit; hinc arti medicae tantum restat, ut influxus noxios arceat, qui naturae medicatricis salutarem operationem impedire possunt, scruteturque gradum, energiae vitalis, pro cujus ratione variat character febris concomitantis, medio cujus natura, quod haeterogeneum est ex organismo eliminare conatur, ut ab illius conditione desumat curae indicationes, quo energiam vitalem excedentem refrenare, langventi succurrere valeat.

In plurimis casibus character febris mitior inflammatorius indicat methodum antiphlogisticam mitiorem, per quam optime refrenatur propensio mitissimarum etiam Morbillorum ad inflammationes topicas, praesertim organorum respirationis et oculorum. Requiritur hinc aër purus siccus, cum inquinatus, humidus aut irriteret aut debilitet; temperatura externa sit moderata 12 — 15° Réaum., sunt qui 16 — 17° Réaum. svadent, in quibusdam casibus certe magis proficuum, scilicet ubi energia vitalis langvidior est; sed ubi energia vitalis alioquin exorbitat, ibi tantus calor jam qua stimulus major nocet, regimen minus calidum magis proficuum est; sed nec temperatura justo depressior frigoris sensationem excitans salubris est, cum ad decursum Morbillorum regulariter absolvendum requiratur perspiratio cutis libera, nam illa impedita facillime exoriuntur inflammationes topicae periculosae. Etiam alii stimuli rite regendi sunt. Lux oculis tantum valde temperata admittenda; cibi et potus sint blandi, parum nutrientes, non irritantes, ut sunt juscula tenuia e hordeo decorticato, oriza, pasta farinacea tenui, olera et radices dulces, fructus horrei maturi, cocti sed absque vino et aromate, laeticinia; pro potu valet aqua simplex egelida. Motus ma-

ior tam corporis, quam animi, vocisque intensio nocet. Vitae regimini antiphlogistico simplici adjungenda sunt pharmaca pauca, ut Saccharum lactis in pulvere, emulsio tenuis, infusum tepidum florum Sambuci, Tiliae vel Verbasci cum lacte, decoctum Hordei vel Althaeae vel Salep, quibus caractere inflammatorio paulo majori praesente addantur Nitrum, Sal ammoniacus, Tartarus emeticus dosi refracta; alvo obstipa praesente adhibetur Manna in lacte soluta vel pulpa prunorum cum Cremore Tartari, vel Carbonas Magnesiae cum Cremore Tartari et saccharo, vel Arcanum duplicatum, Sal mirabilis Glauberi et Sal amarum; aut horum loco quotidie clysmata.

§. 8. Febris inflammatoria intensior cum inflammatione topica nexa, sub quocunque stadio caput extollat, semper requirit methodum antiphlogisticam strictiorem et quidem pro ratione intensitatis sanguinis evacuatio jam universalis ope venaesectionis, jam topica ope hirudinum aut cucurbitularum cruentarum indicatur; qua rite instituta, impetus morbi saepe ita frangitur ut deinceps methodus antiphlogistica mitior sufficiat ad morbum in sanitatem deducendum. Accidit, ut phlogosis mitigata denuo invalescat, nova sanguinis detractioe mitiganda, quo scopo et Calomel egregie opitulatur teneris ad granum unum, adultioribus ad grana duo usque quatuor omni bihorio porrectum, donec alvi evacuatio bina ternave secuta fuerit. Ubi per Morbillos meningitis et in hujus sequelam status soporosus cum delirio, cutis sicca nimis calida inducitur applicatio aquae frigidae forma lotionum aut perfusionum utilissima est; quo calidior est cutis, eo frigidior sumatur aqua, cujus temperatura infra 10° Réaum. vix necessaria est. *Thaer* testatur hanc in duabus epidemiis utilem fuisse. Commendantur etiam clysmata lenientia, pediluvia tepida, gargarismata tepida, et inhalatio vaporum emollientium. *Iuxta Arth. Matthews*

in Chelsea, vesicans sub stadio invasionis ante eruptionem exanthematis pectori adpositum Morbillos mitius breviusque decurrentes reddit, mitigat aut praevertit dispositionem in pneumoniam et hujus sequelas tollit dispositionem majorem in refrigerium et tussim morbo superato, reconvalescentiamque accelerat confirmatque.

§. 9. Dum ob constitutionem aegri individuaalem ob genium epidemiae regnantis Morbilli cum febris gastrica per saburram in tubo intestinali sustentato jungitur, pro ratione turgescientiae saburrae jam emeticum, jam purgans indicatum est; attendendum tamen an non symptomata saburram indicantia potius ab inflammatione ventriculi aut tubi intestinalis oriantur, dicuntur enim Morbilli etiam in membranam mucosam organorum digestionis extendi, cum in cadavere saepe maculae rubrae in eadem detegantur. Nonnunquam febris morbillosa mitior quidem est, propensione in phlogosim destituitur, potius in adynamiam vergit, cutisque sicca, arrida est; tunc diapnoica ut herba *Melissae*, flores *Tiliae*, *Sambucina*, *Spiritus Mindereri*, imo et fortiora diaphoretica, ut *Sulfur*, *antimonialia*, *Camphora* dosi parva sunt maxime proficua. Tussis violenta saepissime per statum inflammatorium organorum respirationis sustentatur, et tunc methodus antiphlogistica eandem optime mitigat; ubi inflammatione tali absente tussis per solam hypercinesiam sustentatur; narcotica indicantur, ut infusum stipitum *Dulcamarae* vel florum *Papaveris Rhoeados*, extractum *Lactucae sativae*, *Hyoscyami*, *Cicutae*, extractum *Opii aquosum*, vel *Tinctura Opii* dosi parva in connubio cum *Ipecacuanha* vel *Calomel*.

§. 10. Dum febris morbillosa characterem adynamicum praesefert, vires caute suffulciendae sunt; quo scopo regimen calidius, *Camphora* dosi minori, infantibus puerisque granum semis usque duo, adultis ad grana 3 — 6 pro nychthemero utiliter adhibetur, non raro *Angelica*, *Serpentaria*, *Arnica*, *Senega*, *Spiri-*

tus Aetherei et Aetheres, Moschus, vinum bonum antiquum, ammoniacalia, externe Sinapismi opem ferunt.

Ubi autem febris caractere adynamico-septico instruitur, acida mineralia in vehiculo mucilaginoso, China, in Decocto vel Extractum illius solutum in vino aut aqua aliqua aromatica, praeparata Ammoniae, Arnica praescribitur. Haemorrhagias colliquativas mitigat Alumen aut Acidum phosphoricum.

§. 11. In stadio reconvalescentiae post Morbillos mites nulla ulterior therapia est necessaria; tantum ob diathesim inflammatoriam praesentem et ob cutis majorem sensibilitatem, causae phlogosim excitare valentes praecipue temperaturae vicissitudines evitari debent. Post febrim inflammatoriam intensiorem saepe methodus antiphlogistica mitior longiori tempore continuanda indicata est. Post febrim adynamicam praegram saepe methodus roborans adhibenda erit.

§. 12. Sub decursu Morbillorum peculiarem attentionem merentur oculi, qui nonnunquam contagium immediate suscipiunt, atque tunc exoritur ophthalmia cum morbo universali pari passu incedens, quae alias per influxum lucis aërisque aut aliorum stimulantium provocatur sub ipso decursu Morbillorum, aut illis jam etiam superatis, novam febrim excitans. Ophthalmia morbillosa formam conjunctivitis gerit. Praeterquam quod margo palpebrarum tumeat rubeatque, photophobia notabilis et epiphora larga adsit, adest simul oculorum dolor punctorius, conjunctivae rubor pallidus ac scleroticæ rubor adhuc pallidior. In cornea exoriuntur loca solito magis nitentia, quae mox pelluciditate privantur, et in phlyctænas sero turgidas elevantur, quibus ruptis ulcera lata serum fundentia exoriuntur, quorum pus tenue nonnunquam intra lamellas corneae fluit et sic dictum unguem constituit. — Prognosis in individuis cum bono habitu et febris caractere mitiori inflammatorio instructis sat laeta est, dummodo non

negligatur; tunc enim ulcera, cicatrices inducentia, remanent, praeter quas, si exorto ungue corneae, resorptio puris ob organismi debilitatem langveat etiam obscuratio corneae onyx dicta remanere solet. — Ophthalmia haec praeter curam universalem febris, characteri admensurandam, topicam quoque requirit. Praeter lucis aërisque justum moderamen pro ratione intensitatis morbi varia commendantur. Ubi ob epiphoram largam acrem pruritus aut ardor molestus adest, fomentationes cum lacte tepido, infuso foliorum Malvae, florum Sambuci aut Chamomillae, aut capitum Papaveris, Mucilago Seminum Cydoniorum recens opem fert. Saepe mador male fertur, tunc fomenta sicca ex floribus Chamomillae et Sambuci aut vapores emollientes plus praestant. Ophthalmia in majorem gradum evoluta requirit sangvinis evacuationem hirudinum ope et subsequenter derivantia, quo vesicularum evolutio in cornea impediatur, quo scopo vesicans ad nucham appositum, aut Ungventum Autenriethii retro aures applicatum optimam fert opem. Corneae ulcera ne fors exorta requirunt calorem siccum cum solutione lapidis divini tepida. Exorto ungue puris resorptionem promovet applicatio tincturae anodynae ope penicilli. — In ophthalmia posthuma chronica cum magna photophobia et sensibilitate oculorum juncta recommendantur vesicans ad nucham, Collyria cum aceto Lithargyri, Vitriolo albo, Sublimato corrosivo, unguentum cum Mercurio praecipitato rubro. Cataclasis seu oclusio palpebrarum spasmodica sub Morbillis occurrens, dum inflammationis symptoma est antiphlogistica, dum hypercinesiae effectus est, antispasmodica externa exposcit, ut Decoctum foliorum Malvae cum Opio vel infusum Hyoseyami praeter tenebras.

§. 13. Jam sub decursu Morbillorum, jam sub finem morbi praeter Ophthalmiam etiam aliae occurrunt inflammationes topicae, quae methodum antiphlogisticam exposcunt, fracta autem phlogosi, remedia anta-

gonistica ut diaphoretica, balnea tepida, purgantia, praeparata Hydrargyri ac Stibii cum Camphora, praesertim autem cutim irritantia ut sinapismus, vesicans, emplastrum aut unguentum antimoniale foniculus, setaceum, moxa.

Furunculi post Morbillos externe emollientia, interne Chinam exposcunt.

Frequentissime remanet tussis, quae non raro chronica evadit et in phthisim trachealem vel pulmonalem transit. Non raro tussis haec est symptoma inflammationis chronicae membranae mucosae tracheae aut bronchiorum; hinc statim ad exordium indicata est methodus antiphlogistica, sanguinis evacuatio topica, remedia emollientia, ut decoctum Hordei, Althaeae, Salep cum melle, infuso vel extracto Liquiritiae vel Siroppo, emulsio amygdalarum, vel cannabis, vel oleoso gummosa, externe ad pectus cataplasmata, unguenta, emplastra emollientia, in vias respiratorias vapor emolliens; his non sufficientibus adduntur Nitrum, Sal ammoniacus, Tartarus stibiatus dosi refracta, Calomel cum Opio et Camphora juxta *Adolphum Henke*. Dum inflammatione jam fracta perdurat tussis ob hypercinesiam; tunc ad scopum deducunt narcotica extractum Lactucae sativae, Hyoscyami, Cicutae, Aconiti, Belladonnae, Nicotianae, vel solum, vel floribus Sulfuris, vel Camphora junctum, subinde aqua Lauro-cerasi, acidum hydrocyanicum, Opium cum Ipecacuanha. Ubi debilitas major subest cum secretionis mucosae abnormitate, partim roborantia, partim alterantia prosunt, ut Scilla, Ipecacuanha, Sulfur auratus Antimonii, Kermes mineralis; Lichen islandicus, herba Marubii albi, Galeopsis grandiflora, radix Polygalae amarae, Senegae, Arnica, China etc. saepe tamen contra hanc affectionem irritatio cutis, praesertim vesicantium diu in suppuratione detentorum ope, optimum effectum exerit.

§ 14. Dum Morbilli regrediuntur causa hujus regressus exquirenda est; solent autem hae diversae esse, ut refrigerium, calor nimius, animi aut corporis motus nimius, abusus stimulantium aut debilitantium, error in regimine diaetetico, diarrhoea profusa etc. Pro ratione causae ac characteris affectionis pullulantis therapia diversa requiritur. Ubi per regressum nulla momentosa incommoda producuntur, plerumque diarrhoea aut urinae secretio largior oritur, in hoc casu sufficit regimen quidquam calidius et exhibitio diapnoicorum. Ubi adynamia adest praeter interna superius laudata, externe frictio cum pannis fumo aromatico imbutis, epispastica, involutio in pannos calidos cum spiritu vini aut infusis vinosis herbarum aromaticarum madefactos opitulantur.

Cum praesertim sub stadio defurfurationis natura ipsa saepe vomitum aut diarrhoeam cum levamine moveat, medici quidam practici emetica et purgantia multum commendant; haec tamen per solam saburram indicantur, sufficit enim alvum liberam servare.

Diarrhoea colliquativa posthuma tabem inducens requirit emollientia mucilaginosa, radicem Columbo, Corticem Cascarillae, clysmata ex Ichthiocollo adito nonnunquam Opio.

§. 15. Descriptio prima Morbillorum data fuit a medicis Arabibus. Auctores momentosiores de hoc morbo sunt:

Rhazes. De Variolis et Morbillis, ed. Ringebroig, Goetting, 1817.

Rosen v. Rosenstein, Abhandlung von den Masern a. d. Schwedischen; Leipzig 1763.

Athenstaedt. Dissertatio de Morbillis Götting. 1799.

Berend. De Morbillorum effectibus, morbo ipso periculosioribus. Francofurt. ad Viadr. 1802.

Wedekind, von den Masern (Röschlaub's Ma-
gazin zur Vervollkommnung der Medizin Bd. 4.
Nro 6.

Roux, Traite sur la rougeole, Paris, 1807.

I. C. Jacobson; De Morbillis. Hamburg, 1818.

E. I. Thomassen a Tuessink, Abhandlung über
die Masern und das schwefelsaure Chinin, aus dem
holländischen. Dsnabrück, 1831.

Ernst Ludwig Heims vermischte medizinische
Schriften. Berlin, 1836.

T h e s e s .

- 1. Dantur Morbilli gastrici absque gastricismo.**
- 2. Inoculatio Morbillorum immerito negligitur.**
- 3. Morbilli regressi non eadem methodo tractandi.**
- 4. Uterus ad vitam sexus sequioris absolute necessarium organon non est.**
- 5. Aër atmosphaericus non est corpus organicum vivum, nec quidem mixtum chemicum, sed tandummodo corpus anorganicum mechanice mixtum.**
- 6. Curae methodicae non sunt coece immittandae.**
- 7. Dantur corpora isomerica, item,**
- 8. Dantur corpora di-imo trimorpha.**
- 9. Situs repens est remedium carminativum, saepe etiam alvum movens eximium.**
- 10. Regimen diaeteticum congruum, primum in omni morbo remedium.**
- 11. Imaginatio matris gravidae magnum exerit influxum in evolutionem foetus.**
- 12. Experientia medica genuina nunquam contradicit rationi sanae.**



Österreichische ...

bliothek



